

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

de gratia novi testamenti ad Honoratum, quod Iustificationis fundamenta, ut ab eodem patre solerter tractata sint animadvertisenda: Atque ita in sacris studiis peragitur ipsis tempus antemeridianum, de quibus solemus in prandii conferre. Post meridianum autem iussi impendere Philosophicis studiis cum exercitio styli, de quibus ad singulas cenras patiret collationem instituimus. Hic accedunt prelectiones sacrae publicae & disputationes consuetae, ut nunquam illis desit, quod agant. Habent ad ea exercitia domesticos contubernales nec ineptos, nec ignavos. Dabo operam, ut publice privatimque exerceantur, quo Ecclesia forisque usui & ornamento sint, sene&ctuti tuæ jucundus baculus. Utinam verò quam est prompta voluntas mihi, tam sit parata facultas ad efficiendum, quod cupio. Spero tamen, daturum esse Dominum, ut quamlibet infirma nostra opera non sit infrugifera. De Illyrico mihi dolet, eum undiquaque tot machinis peti, idque ab iis etiam, quos minime vellemus & expediatis, ut deploremus, quod Josephus de Hierosolymis queritur: in seditione seditionem. Sunt hæc non minima extremorum temporum indicia. DEUS bone, quos ludos & triumphos exhibebit hoc certamen adversarii? verum hæc nec nova sunt nec inusitata, adeoque & veritaris fulgentis argumenta, nec dubito, quin hæc sint bono cœssura Ecclesiæ, quæ dum à Sathanæ tot machinis impugnatur, clarior redditur & firmior: Probatos etenim & manifestos oportet fieri & ad vigilantiā, invocationemque excitari torpentes. Sed bene vale, vir Reverende & charissime Frater, cum uxore, familia, collegis. Salutant te reverenter D. D. Coccius, Fueglinus, qui restitutus fungi denuo ministerio suo cepit. Scripsi Basileæ, die 24. Octobr. Anno 1570.

Tuus ex animo frater

Sulcerus.

### XXI.

**S.** Rationes expensarum per filios tuos accipis, quos intelligas nihil frustra impendisse, idque etiam ne deinceps fiat, providebo. Quanquam mea etiam in parte cura nihil magnopere opus est, quando suâ sponte frugi sunt juvenes, neque se vel helluonibus conjungant, vel emacitate laborant. Vettes parantur utrique, sicut convenit, & jam de Philippi affectu in maxilla sanando spes est, ex medici nostri celeberrimi Plateri & Chirurgi exercitatissimi consilio curatur: ut radix dentis, ex quo noxa commode evellatur, & si quid ex osse mandibulae forte arrosum sit, purgetur, quo ex fundamentis saniari vulnus possit, quod jam in fistulam cœperat degenerare. Studia utriusque bellè procedunt DEI gratia. Theseus partem, hoc est, quindecim Axiomata

Tt 2



mata proposuit hesterna die Philippus, easque præclare sustinuit, respondentे Juvene Laureato, & ipso præside, me verò disputationem gubernante pro Academiæ more. Idem in reliquis fiet, ut solidius excutiantur singula disputationibus pluribus, quæ una satis pertractari omnia non queunt. Verantur & in Philosophicis studiis præter Theologica, suaque in iisdem exercitia habent: ut si res ita poscat, ea etiam in parte præstare scholæ possint operam non infrugiferam. Hæc de filiis eorumque studiis, quibus præcor benedicat Dominus JESUS. Per cætera altum est silentium apud nos de Gallia & Germaniæ statu, deque bello Turcico, de quibus, si quid habes, rogo significes. Florenos centum accepi per Augustum Bechlum, declaras ea in parte, piam pro nostra œconomia curam. Et agit mea conjunx maximas gratias pro misso munere ad mercatum, parata, si possit hanc liberalitatem tuam officio compensare. Scripsi Basili, 25. Novembr. Anno 70.

Tuus ex animo frater

S. Sulcius.

## XXII.

**S.** Quam grata mihi fuerit vel bidui, & ejus quidem non totius, tua & Flinnii consuetudo, dici vix potest, coque magis doluit tam citè abruvram, do: eridem multis de Ecclesia nostra, quod docentes audire nequierint, fuisse certè doctrina vestra Ecclesiæ nostræ ut grata: ita frugifera. Quod filios attinet, placent mores candidi & modelti, quibus pientissimam educationem probant, ut confidam, eos non degeneraturos. Atque si mea illis conversatio ad doctrinæ & pietatis profectum tam faciat, quam cupio, operam Basileæ non sunt lusuri, & hoc ipsum daturum esse. Dominum spero. Ad concludendum artium & philosophiarum cursum jam toti incumbunt, ut lauream Magisterii adepti toti seculi philosophiae coelesti tradant, in qua perséquenda si quam tu methodum præscriperis, curabo eam ut assidue sequantur, quanquam hoc ipsum sua sponte facturos scio. Evidem quantum me ames, quantumque confidas meo qualicunque studio, abundè aestimo, simul autem etiam onus reputo, quo depositum, quod habes in terris gratissimum, non illæsum tantum, sed & auctum restituam. Fueglinus noster adhuc affligitur, quem velim orationibus tuis juves, ut Ecclesia nobisque restituatur. Si quid de Comitiis Spirensibus, aut ex Germania habes, quælo significa, & bene vale.